

**Curae sanitatis publicae apud veteres exempla. Dissertatio altera ... / [Ernst Benjamin Gottlieb Hebenstreit].**

**Contributors**

Hebenstreit, Ernst Benjamin Gottlieb, 1758-1803.  
Universität Leipzig (1409-1953)

**Publication/Creation**

Lipsiae : Ex Officina Sommeria, [1783]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ku4tt8vp>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



28018/P

C XII

18/h

CVRAE SANITATIS PVBLICAE  
APVD VETERES  
EXEMPLA

---

D I S S E R T A T I O   A L T E R A

QVAM

G R A T I O S I M E D I C O R V M   O R D I N I S

A V C T O R I T A T E

P R O S V M M I S I N A R T E M E D I C A H O N O R I B V S

A D D I S C E P T A N D V M P R O P O N I T

M. ERNESTVS BENI. GOTTLIEB HEBENSTREIT

M E D . B A C C .

---

A. D. XI. APRIL. C I C I C C L X X X I I I.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA SOMMERIA.

1783.

АЛГЕБРА И ГЕОМЕТРИЯ



CVRAE  
SANITATIS PVBLICAE APVD VETERES  
E X E M P L A

---

P A R S   A L T E R A.

---

**R**elegenti mihi, quae ante hos tres, et quod excurrit, annos, de cura sanitatis publicae apud veteres scripsi, visum est, non quidem multa me prorsus vitiose dixisse, nonnulla vero breuius, plurima plenius dici potuisse, haud pauca denique deesse, quae ad utilitatem et ornamentum faciunt. Destituisssem itaque, fateor, hunc laborem, nisi fidem argumentum illud perorandi dedissem. Obsfirmavit etiam et erexit vacillantem animum, quod cognoverim, tenuem opellam meam eruditorum iudicio probatam fuisse, quorum de me existimationi an vero lenitati plus in hac re debeam, nescio, vtrumque vero gratus agnosco.

Quomodo veteres, ciborum, potus aerisque salubritatem tuendo, ciuium sanitati prospexerint, in priore huius dissertationis parte nonnullis exemplis illustrare annis sum. Restat, ut de legibus et institutis antiquis exponam, quae munditiem et vestium salubritatem moderando, corporis exercitia ordinando, morbos vulgares auertendo, medicorum denique officiis inuigilando, sanitati publicae profuisse videntur. Non opus est, ut de ordine quid moneam, quo ista pertractabuntur. Constantiae nimirum est, ut omnia fiant eadem ratione et serie, quam in priori libelli parte secutus sum.

## DE MVNDITIE ET VESTITVS RATIONE.

## §. I.

*De commodis, quae ex munditie et apto vestium delectu ad sanitatem  
uniuersi corporis redundant.*

Reipublicae cuiuscunque prosperitatem et gloriam, non imperii vastitate, non exercituum robore, non numerum et diuitiarum affluentia, sed ciuium virtute, sollertia et incolumentate aestimandam esse, omnes omnium aetatum optimi philosophi statuerunt, nec facile vñquam, qui ciuitates regerent, verbis hoc negarunt, licet haud raro rebus ipsis se aliter sentire ostenderent. Nihil itaque tam paruum esse videtur. quin, si ad ciuium salutem vel tantillum pertineat, magni fieri debeat. Nec vero me reprehensum iri existimo, quod statuam, multum interesse reipublicae, vt munditiei corporum in ciuitate ratio habeatur, vestitusque etiam salubritas legibus sapienter regatur. Haud parum enim ista ad sanitatem conseruandam et aduersus morbos varios muniendam faciunt. Quod etsi ita notum omnibus et compertum esse puto, vt probatione plane non indigeat, ne tamen officio scriptoris vel in his quoque rebus tralatiis et vulgaribus breuiter explicandis defuisse videar, causas commemorasse iuuabit, quae ad munditiei studium vestiumque idonearum delectum hominem quemlibet sanitati suae bene cupientem compellere debent. Et primum quidem in eo consentiunt fabricae animalis scrutatores, omne recrementorum genus, quod naturae motu ex corpore eicitur, ex illo ipso tempore, quo foras exit, in peregrinum quasi ex indigeno mutari, et, siue in locis excretioni destinatis diutius haereat, siue ad interiora diuerticula rursus abducatur, multis variisque modis naturam perturbare et euertere posse. Quemadmodum enim aqua limpidissima perpetuo motu destituta putreficit, sic multo etiam magis purga-

purgamenta illa, omnino non blanda, sed intestino motu et calore haud parum iam exacerbata et in corruptionem prona, diuturniori mora insignem corporique infestam virulentiam contrahere oportet. Ea vero tum neruos, quos proxime attingit, offendit, tum etiam a vasis lymphaticis sanguiferisque absorpta humores omnes inquinat, et instar fermenti exagitat, utroque modo neruorum distentionis et vellicationis, dolorum, inflammationum, erosionum, ulcerum, febrium aliorumque id genus malorum cauissa foecundissima futura. Quod cum in uniuersum ad omnem cuiuscunque excrementitiae materici nimis protractam in corpore moram spectet, tum plurimum et vario modo nocet humoris illius, qui per cutis foramina difflari solet, praeter naturam contingens stagnatio aut resorptio. Atque tanto certius sanitatem inde pessum dari necesse est, quanto proprius ad totum corpus illa noxa pertinet. Non vero frigore tantum, non aere humido et crasso, non animi tantum perturbatione et aliis, quae intus latent, caussis, humor iste exitu arceri, vel iamiam foras egressus repellri potest, verum etiam haud raro sibi ipse, relicto post tenuissimae partis exhalationem tenaciori crassamento, viam obstruit, vel vnguine glandularum sebacearum nimis in superficie accumulato et exsiccato, sordibus cuti adspersis, vestibusque squalidis intra cutim et vasa cutanea retinetur. Quo fit, ut praeter illa, quae iam commemorauimus, mala, corpus saepenumero macilentia et tabe, muscularum rigiditate vel languore, impetigine ulceribusque foedis cutim depascentibus pessime mulctetur. Accedit, quod haud parua pars sordium cuti adhaerentium sudores per vasa inhalantia remeantes inquinet, atque sic ad ipsos lymphae sanguinisque fontes penetret, humorumque depravationi somitem largissimum praebeat. Non opus est, arbitror, ea, quae modo dixi, multo exemplorum apparatu stabilire; norunt enim omnes, quibus quantisque morbis sint obnoxii sordidarum

artium opifices, iique omnes, qui vel ob egestatem vel ob illiberalem munditiei neglectum in sordibus et squalore vivunt. Vnde, argumento a contrario ducto, munditiei vestiumque idoneorum ad sanitatem tuendam et conseruandam necessitatem facile colligas. Neminem fore existimo, qui delicatulam molliet, quae non minus ac squalor vitium est, et sanitati officit, a me laudari suspicetur. Mundities enim illa, quam salubrem dico, spectatur potissimum in remouendis iis omnibus, quae meatus naturales et in primis cutim, perspirationis instrumentum, occupare atque obstruere, et materiam, quae naturae beneficio excernenda erat, ab exitu arcere possunt. Vester autem idoneas dico, quae munditiei et sanitati conueniunt. Vix opus est ut addam, non vnam esse posse apud omnes gentes munditiei cultusque ad sanitatem accommodati rationem. Sponte enim liquet, sub aestivali feruidoque coelo maiorem esse munditiei necessitatem, cum corpora ibidem magis sint in putrescentem humorum resolutionem, variamque illorum perturbationem et corruptelam procliuiia, crebriores eam ob causam grauioresque morbos passura, nisi largis excretionibus natura noxiam imminentem perpetim remoueret. In primis autem profusi sudores erumpunt, qui ad interna loca conuersi nec lauatione aliisque hoc genus refrigeriis nimium sanguinis aestum leuantibus temperati, mala plurima et periculi plena progignunt, quibus frigidiorum regionum incolae non ita facile tentantur. Accedit, quod arida tellus pulvere multo scatet, qui ventis exagitatus ad corpora sudantia applicatur, molestumque squalorem et meatuum cutaneorum obstructionem inducit. — Eadem est vestium ratio. Etenim qui australes et solis aestu ardentes plagas habitant, eos laxiore simulque tenuiore vestitu uti conuenit, qui et aeris sit perius et sudorum profluxum, nimium alias futurum, quodammodo cohibeat. Est quoque in colore vestium delectus habendus. Quae enim sunt candidae et decolores

colores vel saltem tenui colore imbutae, illae calidarum regionum habitatoribus maxime conueniunt, cum magnam partem radiorum solarium reflectant, ardoremque minuant, quo fit, ut sanitati et munditiei conducant. Pullae vero et obscuriore pigmento tintae, eoque solis radiis et calor magis permeabiles, hominibus sub frigidiori coelo viuentibus utilissimae sunt. Hos autem in yniuersum adstrictiori veste frigorique et imbribus commoda vti oportet, ut ab iniuria hiemis corpora tueantur. Et ad ista quidem necessitate homines ducuntur, nec legibus facile aut religione opus habent, ut vestes locorum et temporum vicibus accommodent, nisi forte, ut fit interdum, tanta peruersitas hominum ingenia inuaserit, ut natura inuita coeli inclem tam simulo quodam robore vincere gestiant.<sup>a)</sup> Munditiem vero vesti-

a) Evidem, si quis vnquam, deliciatulam et vires eneruantem regiminis puerorum rationem detestor et auersor; nihilominus tamen saepius dubitaui, an bene puerorum tenellorum sanitati consulant, qui pectorum denudatione, vestiumque tenuitate corpuscula illorum ita indurare et confirmare annituntur, ut tempestatum, caloris, frigorisque vicissitudinibus adsuescant. Sic forte maiorum nostrorum memoriam rebus ipfis quodammodo reuocare placuit, qui GALENO (de sanit. tuend. L. I. c. 14.) testante, recens editos infantulos etiam ab vetero calentes ad flumen deferre, ibique, ceu candens ferrum, in frigidam aquam mergendo simul naturae vigorem explorare et corpus ipsum roborare soliti erant, qui que, ut TACITVS ait, in omni domo nudi ac folidi in hos artus, in haec corpora, quae Romani mirabantur, excrescabant. At enim uero

*Dannosa quid non imminuit dies?*

*Aetas parentum peior avis tulit  
Nos nequiores, mox datus  
Progeniem vitiosiorem*

Commode nimur ista HORATII de moribus sui temporis verba ad corpora nostrorum hominum referri possunt, quae mutata vitae ratio mirum in modum debilitauit, ut profecto tantum non vanum sit omne illud infantum nostrorum corpora nuditate roborandi studium, donec de reliquo illos nimis molliter habemus et inter delicias enutrimus. Neque enim apud nos, ut quondam erat TACITI temporibus, difficile est, dominum ac seruum ullis educationis deliciis dignoscere, donec aetas separet ingenuos, virtus agnoscat. Quae cum ita sint, in primis damnanda esse videatur insolens illa puerorum sanitatem muniendi ratio, in nostris regionibus, quibus coelum tam variabile est et inconstans, ut saepenumero paucularum horarum discrimine intenso frigus, et tepor, sudusque aer et vuidus

vestitusque ad motum et functiones corporis varias aptitudinem institutis publicis promoueri tanto magis optabile est; quanto magis utrumque vel per ignauiam sordidumque vitae genus, vel per venustatis et elegantiae inconsultum studium negligi solet. Nam et immundum esse, et corpus vestibus torquere *seculum* nonnunquam vocatur. — Videamus igitur, quae possint ex priscarum gentium moribus et institutis ad hunc locum referri: meminisse tamen iuuabit, legum et religionum auctores, tametsi in his, quae proponentur, institutorum ciuilium exemplis, non vnum hoc semper spectarunt, vt munditiei aptique vestitus studium ciuibus commendarent, sanitati tamen publicae hoc ipso pacto simul consuuisse.

## §. II.

### *De publicis Hebraeorum institutis et legibus, munditiei corporum et vestimentorum prospicientibus.*

Eadem prudentia, cuius nonnulla specimina in priore huius libelli parte exhibuimus, sapientissimus Hebraeorum legislator munditiei quoque rationem habuit; adeo, vt huic quoque haud parum in auertendis et curandis morbis, tribuisse videatur. Intererat autem plurimum publicae saluti, tum corpora, tum vestes et reliquam vitae communis suppellestilem munda seruari et ab omni squalore insontia, cum gens Hebraea calidam desertisque campis arenosis undique fere circumseptam regionem incoleret. Solent enim in eiusmodi regionibus non modo, vt antea monui, corpora in sudores profusos, morbosque varios cutaneos prona esse, verum etiam ubique insignis copia noxiorum animalculorum prouenire, quae utensilia tetro veneno contaminant, vel corpus ipsum adoriuntur, et cuti immundae mordicus

adhaedus vices permутent. Viderint alii,

an tussis suffocantis et stridulae inter nos tuos pueros nupera frequentia cum

illa, quam dixi, regiminis innouatione, aliqua ex parte cohaereat, quod ut credam, parum abest, quin persuadear.

9

adhaerentia illud optimis succis defraudant. Proinde com-mode pariter ac sapienter, munditiei salutarem curam multis Mosaicae religionis ritibus promotam fuisse reor, quos caeterum ob alias quoque causas, quarum scrutinium ad Theologos pertinet, obseruatos fuisse, nec ignoro nec infi-cior. Videntur autem huc quodammodo facere omnia, quae Moses de *impuritate ciuili* et illa sic dicta *Leuitica* prae-cepit, quam fere semper, et tunc quoque, cum sacrificia simul lustralia fieri deberent, lauationibus integri corporis expia-re tollereque iussit. Habebantur autem immundi et hac ipsa immundicie profani, quicunque morticinia vel cadauer hu-manum vel ossa humana tumulosue attigerant,<sup>b)</sup> qui lepra erant affecti,<sup>c)</sup> vel in domo, quam lepra siue caries exederat, commorabantur,<sup>d)</sup> qui seminis profluvio laborabant<sup>e)</sup> qui-que talis aegroti pudenda contrectauerant, stragulis, vestibus, ephippio, reliqua illius supellestili usi fuerant, vel exspuen-tis saliuam corpore susceperant:<sup>f)</sup> porro, quibus per inso-mnia fluxu obsceno pollui accidebat;<sup>g)</sup> puerperae, dum lochia fluebant;<sup>h)</sup> feminae menstruantes<sup>i)</sup> vel haemorrha-gia vteri aegrotantes,<sup>k)</sup> et quicunque cum his conuersaban-tur.<sup>l)</sup> Taceo nunc eos, qui religionis quodam ritu ab ipsis administrato, *impuri* et profani siebant;<sup>m)</sup> nam qui ista ad munditiei commendationem referre vellet, nihil esset inuenturus, quo sententiam suam exornare et stabilire pos-set, quin potius legislatoris verba detorsisse magis, quam bene

b) Leuit. c. XI. v. 24 — 30. Num.  
XIX. 11. — 16. 19.

c) Leuit. c. XIII.

d) ibid. c. XIV. 46. 47.

e) ibid. XV. 2. 13.

f) ibid. v. 5. — 11.

g) ibid. v. 16. — 17. Deuteron.  
XXIII. 10.

h) Leuit. XII.

i) ibid. XV. 19. sqq.

k) ibid. v. 25. sqq.

l) ibid. v. 24. Num. V. 2. 3.

m) Ut illi, qui iuuenga rufa pi-a-culare sacrum faciebant: Num. XIX. 6 — 8. 10. 19 — 21. qui sollempni sup-plicationum die viictimas combure-bant; Leuit. XVI. 28. qui hircum emissarium in deserta loca abducebat. Leuit. XVI. 26. etc.



bene explicasse videretur. De his itaque immunditiae generibus consulendi sunt Theologi.<sup>n)</sup> Caeterum, quibus ob corporis aliquod vitium, vel ob casu contractam immunditiam, ciuilium rerum tractatione et sacris interdicebatur, illis ut plurimum non nisi lotis et expiatis in ciuum societatem et ad sacra redire licitum erat,<sup>n)</sup> atque adeo capitatis poena plebebatur, qui consulto impuritatem dissimularet, aut expiationem negligeret.<sup>o)</sup> Videamus itaque sigillatim, quid commodi leges hactenus enumeratae sanitati publicae praestare potuerint.

Eo, quod constitutum esset, ne cui cadauera animantium mortuosque homines et tumulos contrectare, vel in vicinia horum conimorari liceret, quin impurus et ad munera ciuilia obeundum ineptus euaderet, effecisse videtur legislatoris sapientia: 1. ne insepulta nimis diu corpora manerent, sed, prout in calidissima regione par erat, sepultura mature fieret: 2. vt mortui in locis ab hominum frequencia remotis et procul ab oppidis tumularentur, nec praeter euntes pestifero foetore infestare facile possent: 3. vt viae publicae, vrbiique plateae sollicite expurgarentur, et ciues, ne qua impuritatis contagio negotia domestica interpellaret, cadauera bestiarum inhumata nullibi in publicis locis proiici paterentur.

Leprosos ab hominum consortio segregari eo magis expediebat, quo vero similius est, morbum istum contagiosum fuisse vel certe haereditarium.<sup>p)</sup> Lauationes autem et comae

n) Leuit. XII. 4. XIII. 46. XV. XXII. 3 — 7. Num. V. 2. IX. 6. sqq.

o) Leuit. XVII. 16. Num. XIX. 13. 20.

p) Videtur hoc patere ex ipsis legibus Mosaicis ad leprosos eorumque ex ciuitate relegationem spectantibus, et ex plurimis aliis S. S. locis, v. c. Num. V. 12. 2. Sam. III. 29. quo loco

Dauides rex Ioabi posteris, et 2. Reg. V. 27. vbi Elisaeus propheta seruo suo eiusque posteris sempiternam et haereditariam lepram imprecatur. Doctores Talmudicos etiam contagiosam leprae indolem passim commemorare legi. Profani scriptores, tum medici, tum historici, varios morbos, et nonnullos leprae Iudeorum dissimilinos leprae

comae detonsionem tum hisce aegrotis, tum etiam illis, qui  
B 2 tinea

lepræ nomine complexi sunt; quamvis nonnulli etiam, elephantiae, leuces s. vitiliginis albae et lichenum nominibus, interdum illam ipsam, quae Iudeis familiaris erat, lepram designasse videantur. Caeterum ad vnum fere omnes lepram, elephantiasin et alios, quos modo dixi, morbos, contagiosis et haereditariis annumerant, aut, nisi disertis verbis id dicant, tamen suis temporibus creditum fuisse significant. Cf. HERODOTVS L. I. §. 138. qui Persas sedulo sibi a leprosorum consuetudine canisse et peregrinos eo morbo affectos tota regione expulisse refert; PLINIVS L. XXVI. c. 1. qui elephantiasin Pompeii magni tempore in Italiā inuestigata transiū osculi potissimum propagatam fuisse narrat; ex medicis vero antiquis, ARETAEVS π. χρ. π. L. II. c. 3. 13. CAELIVS AVRELIANVS tard. Paſſ. L. IV. c. 1. sub fin. AETIVS Tetrab. IV. S. 1. 120. PAVLVS AEGIN. L. IV. c. 2. ACTVARIVS Meth. med. II. II. VI. 8. et de morb. dignosc. L. II. c. 20. Ex recentioribus, PROSPER ALPINVS, TURNERVS, FORESTVS, AND. PARAEVS, FERNELIUS, ETTMULLERVS, TH. BARTHOLINVS aliique multi idem affirmarunt. Nec dubitari profecto potest, illam lepram, quam milites ex bellis sic dictis sacrīs, quae et cruciata vocant, reduces, in Europam intulerunt, contagiosam fuisse, cum breuissimo tempore malum istud vbique diuulgatum fuerit, principesque et magistratus satis mature de auertendo periculo et sistenda contagione consilia ceperint. Exstruebantur nempe tum publico sumtu, tum priuatorum munificentia, nosodochia

plurima, (*Domus leprosorum a scriptoribus medii aei nuncupantur*) in quae leprosi, societate ciuili exclusi, fese reciperent. Quorum cura cum sancti Lazari equitibus ab initio demandata esset, factum hinc est, vt ad nostra tempora vulgare *Lazarethi* nomen transiret. Seculo XIImo, Ludovicō VIII. Galliae regnum tunc tenente, in vniuersa Europa 19000, et anno 1225 in sola Gallia ultra 2000 domus leprosorum numerabantur, ex quo facile omnino patet, quanta vi et celeritate dirus iste morbus per omnem Europam increuerit. Fuisse tunc temporis omnes, qui morbo isto laborarent, principum prouidentia a reliquorum ciuium societate segregatos, et seorsim habitare iussos, ne malum latius serperet, docent illa, quae hodienum exstant, edicta; regum Franciae, Ludouici IX. promulgatum a. 1269. Philippi Audacis, Ludouici X. a. 1315 Iohannis a. 1362 1365. Comitum Prouinciae, Caroli II. a. 1293. et Renati, regis Siciliae a. 1454. Waldemari denique, Marchionis Brandenburgici literae donatiuae annorum 1315. 1317. et 1319. de quibus postremo loco dictis MOESENIVS nuper (*Geschichte der Wissenschaft in der Mark Brandenburg*) retulit. Ipsos adeo religionis ministros et episcopos, vt lepræ magisque contagione propagatae obviam iretur, sollicitos fuisse, ex conciliorum historia patet. Nam cum primis iam ecclesiae Christianae temporibus patres Synodi Ancyrae a. C. 314. conuocatae, Can. 37. leprosos seorsim et inter daemonicos, quos dicebant, religiosis concionibus interesse iussissent, idem interdictum non modo in aliis conciliis repetitum et

tinea vel impetigine essent affecti, commode omnino et sapienter imperat lex Mosaica. Neminem enim fugit, in plurimis morbis cutaneis balnea efficacem praestare medicinam, ideo potissimum, quod cutim humectant, morbidam et rodentem materiem detergunt, perspirationem suppressam restitunt, lentos humores attenuant et dissoluunt, vasis inertibus vigorem reddunt, et boni blandique succi per vasa elaborandi materiem suppeditant. Accedit scriptorum medicorum

et confirmatum fuit, verum etiam tanta severitate in leprosos animadversum est, ut a sacris prorsus excluderentur, donec in Concilio Lateranensi III. quod a. C. 1179. Alexander III. Pontifex M. congregauerat, suos sacerdotes et tempa sibi habere ipsis permisum est. Cessauit quidem postea huius Europaeae leprae contagium, ita ut superiori seculo in Germania nostra non nisi raro morbus iste occurreret, (v. GREG. HORSTII epistola a. 1624. scripta, in Opp. T. II. p. 343.) manserunt tamen in aliis Europae regionibus haud pauca eius vestigia; in Galliae nempe et Hispaniae oris australibus, in primis in Gallioprouincia (cf. *Nachricht von dem Aufsatz in der Gegend von Martigues in der Provence, aus einem Schreiben des D. IOANNIS zu Aix; in den medic. Bemerk. einer Gesellsch. von Aerzten in London* T. I. p. 183. et RAYMOND *Traité de la lepre ou de l'Elephant*) in Norwegia (cf. ROLAND MARTIN *Abhandl. etc. in den Schwed. acad. Abhandl.* v. I. 1760.) in Suecia (v. LINN *Diff. de lepra*, in *Amoenit. acad.* T. VII. et ODHELIUS in *Schwed. acad. Abhandl.* v. I. 1774.) in Islandia (v. VNO von TROIL *Reise nach Island* p. 89. 287. seqq.) et alibi. Ex omnibus vero iis, qui nostra aetate lepram vel

elephantiasin in Europaeis regionibus a se deprehensam retulerunt, vix unus aut alter est, qui contagiosam huius morbi insolem dissimulauerit. Agnouerunt eandem, HILLARY in Elephantiasi et lepra insulae Barbadoe (v. *Beobacht. über die Veränderungen der Luft und die epidem. Krankb. auf d. Insel Barbados* p. 385. seqq. 397. seqq.) caeteroquin existimans, (p. 404.) morbum *Yaws Americanis* dictum lepram prisorum Iudeorum esse, quod mihi tamen ob ea, quae P. M. v. NIELEN (*Samml. für praktische Aerzte* T. VII. p. 370 — 413.) de hoc morbo commentatus est, secus videatur; COVZIER in lepra indica insulae Masecarinae, *Journ. de medec.* Decbr. 1757. (hic tamen a parentibus tantum ad prolem, a nutricibus ad alumnos transire contendit,) TH. HEBERDEN in lepra insulae Maderae v. *Medical Transact.* T. I. et SCHILLINGIUS in lepra Surinamensem et Nigritarum. V. huius *Commentationes de lepra* L. B. 1777. et LORRY *de morbis cutaneis* T. I. p. 677. seqq. vers. Germ. — Evidenter paullo fusius de hoc argumento exposui, tum quod ab instituto meo non prorsus alienum esse videretur, tum quod nonnulli extiterint, qui lepram contagiosum morbum esse aut fuisse negarent.

dicorum auctoritas, qui balneorum in lepra et elephantiasi  
utilitatem uno quasi ore praedicarunt.<sup>q)</sup> Neque vero cre-  
diderim, lauationum necessitatem apud Hebraeos tunc demum  
leprosis incubuisse, cum sanitati iamiam essent restituti et a  
sacerdote expiati, sed potius vigente adhuc morbo, si opus  
esset, balnea adhibita fuisse. Videtur hoc quodammodo ex  
eo consequi, quod leprosus, quamuis esset a sacerdote sa-  
nus mundusque iudicatus, nondum tamen in ciuum socie-  
tatem reciperetur, donec septem interiectis diebus bis la-  
vasset.<sup>r)</sup> Fidem quoque facit meae sententiae, Naamanis  
Syri historia, quem pessima lepra aegrotantem Elisaeus pro-  
pheta septies Iordanis aquis lauari iussit, eoque sanitati re-  
stituit.<sup>s)</sup> Caeterum nullus dubito, alia quoque leprae re-  
media apud Iudeos fuisse, quorum tamen notitia non ad  
vulgus pertinuisse, sed solis sacerdotibus concredita fuisse  
videtur.<sup>t)</sup>

Salubre quoque erat praeceptum, ut illi, qui lepra con-  
taminatas aedes adirent, corpora vestesque abluerent. Non-

## B 3

dum

q) CELSVS L. III. c. 25. balneo  
quidem in hoc morbo raro viendum es-  
se praecipit, ita tamen, ut non omnino  
damnet. ARETAEV S. X<sup>o</sup>. π. L. II.  
c. 13. balnea cum sapone magnopere  
laudat. cf. etiam, quae GALENV  
comment. in Hippocr. apborism. L. VI.  
de compos. medicam. sec. loc. L. V. c. 3. et  
Metb. med. ad Glanc. L. II. c. 12.  
CAELIVS AVRELIANVS tard. pass.  
L. IV. c. 1. et AETIVS Tetrab. IV.  
S. I. 132. de cura leprae tradiderunt.  
Recentiores, quos supra laudauit omnes,  
in primis autem SCHILLINGIVS,  
balnea in hoc morbo magnae utilita-  
tis esse testantur.

r) Leuit. XIV. 8. 9.

s) Reg. V. 10. sqq.

t) Deuteron. XXIV. 8. Causa tibi a

leprae contagio, diligenter obseruando ea  
omnia, quae Leuitae sacerdozes vobis  
praecipient. Quaecunque illos docui,  
vos obseruatore. Patet, ni fallor, ex  
hisce verbis; 1. lepram eiusmodi  
morbum fuisse, cuius contagium posset  
declinari apto regimine, nec euitata  
tantum leprosorum consuetudine, ve-  
rum etiam idonea vietus moderatione,  
etc. in primis autem, ut existimo,  
mundicie: 2. fuisse quandam leptam  
sanandi normam Leuitis et sacerdoti-  
bus praescriptam. Expediebat autem  
istam medendi rationem non diuul-  
gari; alias enim profecto non  
erant defuturi, qui, ut secessus le-  
prosis imperati moram taediunque  
effugerent, celato morbo eius cura-  
tionem in se ipsis susciperent, quo ni-  
hil poterat esse reipublicae damno-  
fius



dum quidem constat inter eruditos, quae fuerit huius leprae domuum natura: alii enim veram lepram fuisse putant, quae ex viuis corporibus contagione quadam in muros transferit,<sup>u)</sup> alii vero aedium ab efflorescente nitro (quod Halonitrum et Aphronitrum dixerunt veteres) erosionem aut cariem leprae nomine in Mosaicis legibus insigniri censuerunt.<sup>v)</sup> Quicquid autem horum fuerit, lauationes, illis, qui in aede essent, parem utilitatem praestitisse existimo. Etenim si vere contagiosum leprae virus muros ipsos inficeret, non facile certius efficaciusque poterat periculum corporibus viuis inde imminens auerti; si vero nitrum lateres et calcem exederet, sponte intelligitur, sanitati contrarias fuisse eiusmodi habitationes, quae in nostris etiam regionibus non quidem ipsius nitri efflorescentis vi nocuia, sed mucidarum exhalationum a loci humiditate prouenientium vestesque ipsas tetro odore inficientium abundantia corpori infestae esse solent; quo fit, ut morbi varii ingruant ex eorum genere, qui a perspiratione suppressa aerisque corrupti afflatu nascuntur. Ad istos autem praeuertendos nihil poterat mundicie magis conuenire.

### Transeo

sius et ad augendam contagionem aptius.

u) Inter recentiores SCHILLINGVS in primis l. c. p. 187. sqq. hanc opinionem adoptauit, quam tamen non omnino mihi placere fateor. Non enim video, qui fieri potuerit, ut leprae virus ex viuo corpore in aedium muros transfiret, cum leprosi, simulac morbus externa macula sese manifestaret, sacerdotem consulere lege cogerentur. Custoditi deinceps et seclusi non poterant aedibus propriis contagionem inferre, neque id antea, quam secessum sacerdos impetraret, facile contingere poterat, siquidem, ut par est, leprae Iudeorum

aliquam cognitionem cum lepra Arabum intercedere credamus, quae lento passu ingrauescit, et ab initio nec foetore nec materia virulenta exsudante sese prodit, adeoque sub haec prima tempora viuis fortasse corporibus non vero lapidibus aedium communicari posse videtur.

v) R. MEAD. *Medica sacra s. de morbis insignioribus, qui in Bibliis commemorantur, commentarius.* Gotting. 1749. 8. Cap. 7. de lepra. MICHAELIS *deutsche Uebers. des A. T. mit Anmerk. für Ungelehrte in animadu. ad Leuit. C. XIII. EIVSD. Mos. Retib. T. IV. §. 211. p. 265. sqq.*

Transeo nunc ad illum legi Mosaicae locum, qui ad seminis profluum spectat.<sup>w)</sup> Difficillimum est, fateor, determinare, quale morbi genus fuerit, iuuabit tamen nonnulla momenta hoc loco collegisse, ex quibus deinceps huius morbi naturam non quidem certo definire, sed coniicare tamen licebit. Et primum quidem ex ipsis legislatoris verbis patet, genus morbi duplex fuisse, alterum, cum humor foedus ex pudendis emanaret, alterum, cum fluxus iste esset suppressus. Deinde, quod utriusque sexui communis morbus iste fuerit, ex illis verbis colligo, quibus Moses leges cunctas de immundicie morbosa datae summatim repetit.<sup>x)</sup> Periculum denique et forte contagiosum fuisse, suadent omnia, praesertim vero singularis illa legislatoris sollicitudo, qua cauit, ne ullo modo posset vitium ex morbo corpore in sanum transire. Omnia nimurum tam subtiliter descripta sunt, ut in ipsis legibus ad lepram spectantibus, prolixis caeterum et perspicuis, vix tantum curae adhibitum fuisse videatur, ne leprosi corporis virus sanis affricaretur. Non modo enim cubile, stragula, vestes, fedilia et vasa morbo isto laborantis, ut impura damnantur, verum etiam disertis verbis declaratur, immundicie participes

w) Leuit. XV. 2 — 13. verba, quae  
huc maxime pertinent, haec sunt:  
**אִישׁ אִישׁ כִּי יְהִי זָב מִבְשָׁרוֹ**  
**זָבּוֹ טָמֵא הוּא: נַזָּאת תְּהִיה טָמֵאתוֹ**  
**זָבוֹבֶר בָּשָׁרוֹ אֲת־זָבוֹב אָז־**  
**חַחִים בָּשָׁרוֹ מָזָבוֹ טָמֵאתוֹ הוּא.**

Graecus interpres hunc locum ita vertit: Ἀνδρὶς ἀνδρὶ, φέαν γένηται ἐύσις  
ἐκ τοῦ σωματος αὐτῷ, οὐ ἐύσις αὐτῷ  
ἀνάθαρτος εἶται· οὐτος δὲ νόμος τῆς  
ἀναθαρσίας αὐτῷ φέαν γόνον ἐκ σωματος αὐτῷ διὰ τῆς ἐύσεως, οὐ συνέγκειεν ἐν τῷ σώματι αὐτῷ διὰ τῆς  
ἐύσεως, αὐτῇ οὐ ἀναθαρσία αὐτῷ ἐν

αὐτῷ. LUTHERVS: Wenn ein Mann an seinem Fleisch einen Fluss hat, der selbe ist unrein. Dann aber ist er unrein, wenn sein Fleisch vom Fluss eitert oder verstopft ist. III. MICHAELIS: Wer einen Saamenfluss hat, der ist unrein; der Saamenfluss sei fließend oder habe sich verstopft, so ist er unrein.

x) I. c. v. 33. quem locum LXX.  
ita verterunt: Οὗτος δὲ νόμος τοῦ γονοφέρους· — — οὐ τῷ γονοφέρουτε ἐν τῇ ἐύσεω αὐτῷ, τῷ αἴστενι οὐ τῇ θηλεῖσι.



cipes fore, quicunque eiusmodi aegroti inguina contrectas-  
sent, vel ab illo manibus illotis prehensi, vel exspuentis sa-  
liua commaculati fuissent.<sup>y)</sup> An ea fuerit morbi natura, ut  
a parentibus ad sobolem migraret, definire non audeo, af-  
firmauerim tamen lubentius quam negauerim.<sup>z)</sup>

Considerantibus nobis haec omnia, vix puto, ullum  
alium morbum, ex iis, quos nunc nouimus, cum seminis  
isto profluvio, cuius Moses meminit, magis conuenire,  
quam gonorrhoeam et leucorrhoeam malignam; nec facile  
aliquis hunc ipsum morbum a Mose designari ambigeret,  
nisi certum esset, medicos antiquos hosce morbos prorsus  
ignorasse, jeosque nostro orbi tunc demum innotuisse, cum lues  
venerea ex insulis Americae, ut fertur, per Hispanos in Europam  
aduecta aliquamdiu saeuierat. Evidem temeritatis iudicii  
culpam vix effugerem, si apud veteres auctores Graecos et  
Latinos gonorrhoeae malignae vel morbi ullius, cum lue  
venerea probabili argumento comparandi, ullam mentionem  
fieri contenderem. Qui vero ex hoc veterum silentio colli-  
gunt, luem venereum, gonorrhoeam, et leucorrhoeam mali-  
gnam in nulla vñquam veteris orbis parte sponte extitisse,  
nec potuisse hos morbos, nisi ab exteris acceptos existere,  
audacius id faciunt, argumento parum idoneo usi. Etenim  
quod inter Graecos Romanosque rerum medicarum scripto-  
res nemo vñus extiterit, qui de gonorrhœa virulenta et  
morbis venereis quicquam literis mandaret, ignoratio forte  
morbi fecit, eo, quo illi scriberent, tempore et loco nun-  
quam visi; nihilominus tamen non video, quid obstet, quo  
minus in Africae Asiaeque plagis calidissimis, quarum no-  
titiam veteres non habebant, iam antiquitus tum gonor-  
rhœa virulenta, tum morbi venerei, dum caussæ morbi non  
deessent, homines infestare potuerint. Non ignoro quidem  
medicis

y) l. c. v. 4 — 12.


z) cf. 2. Sam. III. 29. quo loco Da-  
vides rex praeter alias diras hoc quo-

que Ioabo imprecatur, ne vñquam  
inter eius posteros desit, qui seminis  
profluvio laboret.

medicis de prima origine et caussis mali venerei in locis illius natalibus parum constare. Quas tamen verosimillimas ex cogitarunt, coeli ardorem humidamque intemperiem, in colarum vaga venere aestuantium lasciuiam, sanguinisque menstrui ex calore vehementi natam virulentiam,<sup>a)</sup> eas omnes non vni Americae proprias, verum omnibus omnino calidissimis telluris regionibus communes esse inficiabitur nemo, qui loca ista vel ipse adierit, vel quae de his in itinerariis relata sunt, attento animo legat. Neque vero ex eo, quod ad Graecos et Romanos morbus iste non transiit, satis certo argumento contendи potest, ne in Asiae quoque et Africæ calidissimis illis et remotissimis regionibus illum antiquissimis iam seculis existisse. Non rara enim sunt morborum exempla, qui cum diu iam alicubi inter domesticos fuissent, patriam tamen sedem non nisi post plura secula egredi sunt. Constat variolas per Arabiam Aethiopiamque diu admodum, antequam Europaeos inuaderent, grassatas fuisse, et in his locis inquilinas fuisse et *αὐτόχθονας*; morbillos item constat ab Arabicis auctoribus, ut antiquum et domesticum morbum describi; utroque tamen morbo scimus veteres tum Graeciae tum Italiae populos intactos fuisse. Scorbutum porro, quod malum inde ab hominum memoria in Europæ oris borealibus incolis graue fuisse videtur, an Graeci et Romani olim experti fuerint, est, quod dubites. Nec mirum, de peregrinis istis morbis Graecis Romanisque veteribus nihil constitisse, quos ab illorum contagio tutos praestaret terrarum longe a patriis sedibus dissitarum ignorantia. Raro enim, si vñquam, nec nisi tempestatibus vel itineris erro-

a) V. ASTRVC de morb. vener. L. I. c. 12. — Solent interdum in Europæis regionibus feminæ salaciiores, a venereo malo caeteroquin immunes, viris, quibuscum catameniorum tempore consuescunt, sola sanguinis menstrui virulentia varia mala venereo

morro propria communicare; ita vt hivrinae difficultatem et ardorem, acris sanie profluvium, cancerosas glandis erosiones, vrethrae exulcerationes etc. a tali concubitu patiantur. Vid. C. F. HVNDERTMARK Progr. de *ozaena venerea*. Lips. 1758. p. 4. not. a.



errore coacti ad oras maritimas Asiae Africaeque remotiores appellebant, et omnino de tanta telluris, de qua nunc nobis constat, vastitate pars tantum exigua itineribus ipsis innotuerat. Accedit, quod illi ipsis, quos aut scientiae lucrue cupiditas, aut calamitas in remotiores terrae plagas deduxerat, perfunctoria breuique locorum lustratione contenti de noscendis incolis parum curiosi essent, domumque reuersi, periculorum metu, raro regiones nouiter inuentas iterum adire ac diligentius peragrare auderent. Quomodo itaque fieri potuisset, ut morbos barbarorum hominum, quos ipsis alto supercilie contemnebant, nullo consuetudinis et mutuorum vinculo cum illis coniuncti, domum suam referrent? — Quae cum ita sint, nihil obstare putauerim, quo minus varii morbi et inter hos illi etiam, de quibus nunc agitur, lues venerea et gonorrhoea maligna, calidiorum terrarum incolas antiquissimis iam temporibus infestare potuerint. Immo fieri potuit, ut latius etiam vagati, cum in regiones veteribus notissimas aliquando penetrassem, paullatim ita prorsus cessarent, ut eo tempore, quo vetustissimi Graecarum et Romanarum rerum scriptores viuerent, nullum eorum vestigium superesset. Nam et aliis exemplis constat, morborum aliquod genus post longum temporis interuallum deficere posse. Nouimus varios morbos olim populis Europaeis graues, progressu temporis mitigatos, postremo extirpatos fuisse. In his lepra est, quae ter in Europam migravit, <sup>b)</sup> ter recessit, ut nostra aetate pauca eiusdem vestigia supersint. Huc quoque pertinet pestis illa sudatoria, (sudor anglicus) quae seculis XV et XVI. in variis Europae regionibus, praesertim in Anglia, unde ortum traxerat, magnam stragem edidit, deinceps vero prorsus euanuit. Eandem fortassis sortem lues venerea et gonorrhoea experta est, siue intra

b) primum quidem Pompeii Magni deinde Seculo p. C. N. VII. vel VIII. tempore v. PLINIUS L. XXVI, c. I. denique Seculo XII.

intra veteris orbis plagas semper olim sese continuerit, siue aliquando vetustissimis temporibus, quorum scriptores praeter Mosen nulli extant, vterius progressa, postmodum prorsus euanuerit et in oblivionem venerit. Nam mali huius atrocitatem dies, vt videtur, minuit, cum sollertissima et per tria fere secula continuata medicorum obseruatione constiterit, antiquam huius morbi vim atque virulentiam paullatim mirum in modum lenitam fuisse; quae quidem spem haud exiguam faciunt, fore, vt aliquando dira haec pestis prorsus euanescat, et de medio tollatur, donec forte temporum vicissitudine iterum aliquando redeat.<sup>c)</sup>

Videbor forsan in his, quae hactenus proposui, nimis longus fuisse, sed profecto plura supersunt argumenta, quibus gonorrhoeae malignae et venereae antiquitas probabili quadam ratione defendi posset, nisi lectoribus nimia prolixitate taedium creare vererer.\*<sup>)</sup> In vniuersum autem, quae hactenus dixi vt seminis profluuum a Mose commemoratum gonorrhoeam malignam fuisse ostenderem, ita compa-

## C 2

rata

c) de his egregie exposuit AST RVC l. c. XIV. quo loco etiam aliorum Seculi in primis XVI. et XVII. scriptorum in arte medica celebrium sententias de futura luis venereae imminutione collegit.

\*) Constitueram ante, huic libello appendicis loco animaduersiones non-nullas adiicere, quibus, etiam si in auditam in Europa olim venereum luem fuisse dubitari non possit, vulgarem tamen opinionem, qua morbus ille ex America tantum ad nos peruenisse et in obsidione Neapolitana a. 1495. ab Hispanis prium ad Gallos et per hos porro ad reliquas Europae gentes transmissa fuisse creditur, argumentis, ex historia potissimum illorum temporum petitis, quodammodo labefactari ostendem.

Mutaui tamen consilium, et laborem iam inchoatum destitui, cum amplius esse videretur hoc argumentum, quam quod persunctorie tantum pertractari posset. Fortasse, si plura de hoc arguento notatu digna aliquando collegero, seorsim de illo exponam, nisi quidem laborem hunc, quod vehementer opto, anticipet Vir doctissimus, qui nuper in Ephemeridum Gottingensium anni 1782 partic. 37. de Tomo quarto *Historiae antiquae regni Mexicanii*, a FR. XAV. CLAVIGERO italicice scriptae, elegans et accuratum iudicium tulit, ibidemque in varia se incidisse narravit argументa historica, quibus luem venereum non ex America, sed ex ora Guineensi Africæ in Europam delatam fuisse, probabile sibi esse videatur.

rata sunt, ut nitantur communi sententia eorum, qui morbum istum semper a siphylitico contagio nasci existimant. Quod si tamen, de quo vehementer dubito, certo demonstrari posset, luem venereum in nullis vnquam veteris orbis regionibus, antequam per Hispanos ex America aduehetur, sedem quasi et domicilium posuisse, ex illa, quam leges Mosaicae testantur, gonorrhoeae malignae antiquitate, magnum, fateor, pondus accederet eorum opinioni, qui gonorrhoeae contagiosum virus a siphylitico differre censuerunt. Quid mihi de hac re videatur, huius loci non est declarare, cum assensum ex vtraque parte nunc cohibere, quam a proposito nimis aberrare malim. Illud tamen, quod ad rem nostram proprius spectat, facere non possum, quin adiiciam, commemorari passim a medicis scriptoribus, medii in primis aeui, morbi quoddam genus, quod sane venereae indolis non fuit, nihilominus tamen gonorrhoeae malignae cognatum fuisse videtur. Aiunt nempe, qui naturam eius describunt auctores,<sup>d)</sup> oriri interdum a coitu cum foeda muliere, dolores, pruritum, ardorem, pustulas et vleculula in vretbra cum urinae difficultate et acris materiei profluvio. Similia fere symptomata Arabes nonnulli commemorarunt, a quibus etiam scriptores medii aeui nomen morbi mutuati, Arabicum vocabulum latino calefactionis siue arsurae expresserunt. Foedam mulierem autem neutiquam, ut nonnullis recentioribus visum est, siphylitico morbo laborantem dixerunt, sed promiscuo vocis usu, mox eam, quae menstruo

d) Sec. XIII. GVIL. de SALICETO  
*Chirurg.* L. I. c. 48 et LANFRANCVS  
*Practicae s. Art. compl. chirurg.* Tract. III. Doctr. 2. c. II. et Doctr. 3. c. II.  
 Sec. XIV. BERN. GORDONIVS *Lil. medic. partic.* I. c. 22. *partic.* VII. c. 5.  
 IO. de GADDESDEN *Ros. angl.* c. de cura ulcerum virgae. GVIDO de CAVLIACO *Chirurg. magn.* Tract. VI.

Doctr. 2. c. 7. §. 9. Sec. XV. circa a. 1400. VALESCVS de TARANTA *Philon.* L. VI. c. 6. L. VII. c. 39. PETRVS de ARGELATA *Chirurg.* L. II. Tract. 30. c. 3. cf. de his FREIND *History of Physick* part. II. p. 346. sqq. ASTRVC de morb. vener. I. c. c. VI. et VII.

struo sanguine exsoluitur, mox vlcere vel cancro matricis affectas, longe frequentissime vero leprosas hoc nomine nuncupauerunt.<sup>e)</sup> Habes itaque in his exempla morbi, gonorrhoeae malignae simillimi et a siphylitica tamen contagione alieni.

Quicquid autem horum fuerit, seu ex venereo contagio natum fuerit seminis istud profluuium, de quo Mosaica lex scripta est, seu a concubitu cum menstruali aut leprosa muliere, seu ex aliis quibuscumque causis ortum traxerit, hoc tamen, puto, facile patet, illud, nisi ipsam gonorrhoeam virulentam, huic tamen, ut nullum aliud, simillimum fuisse. Neque enim si ad gonorrhoeam, quam nos benignam dicimus, lex Mosaica spectaret, eadem impunitatis censura morbus iste a legislatore notari potuisset, seu flueret foedus humor, seu interceptus esset. Illud certe corruptio-  
nis insons gonorrhoeae genus eo ipso sanatur, quod humor emanare desinit, cum plerumque a laxitate et debilitate partium oriatur, adeoque vigore naturali restituto fluxus sponte cohibeatur. Altero autem morbi genere laborantibus, quod malignum dici consuevit, sponte et ante tempus accidens profluuii cessatio, salutaris haud est, imo potius maiorem no-  
xam afferre iudicatur, cum illa, quae humores corrupit, acrimonia, subacta prius et expurgata non fuerit. Est quo-  
que virulentae gonorrhoeae tanta vis, ut vel solo contactu-  
sanis corporibus nocere possit, quod in benigna secus est. Videtur sane Moses auertendi huius contagii causa non modo seminifluos e societate ciuum remouisse, sed hos quo-  
que . qui illos tetigissent, eorumque suppellestili vi-  
essent, reos immundicie statuisse. Lauationes autem prudenti omnino consilio, non vigente morbo, sed sublato praescri-  
psit, quippe debilitatis viribus confirmandis magnopere pro-  
futuras.

e) cf. auctores modo laudati, et in-  
primis 10. de GADDESDEN in cap. *de infectione ex concubitu cum leproso  
vel leprosa.*



futuras. Neque poterat facile quicquam huic fini magis convenire quam balnea frigida. Solemus enim nostro etiam aevio, gonorrhœa virulenta eo vsque sanata, vt tantum acri moniae expers profluuium ob vasorum laxitatem supersit, praeter alia, quae comprimunt et adstringunt medicamenta, frigidas lotiones adhibere. Eaedem tamen ad benignae etiam gonorrhœae curationem profund, vnde, qui nostris argumentis fidem denegantes profluuium semenis Mosi dictum gonorrhœam benignam fuisse pertinaciter contendunt, hoc tamen vltro dabunt, lauationes salubri consilio indicatas fuisse.

Quod autem spontaneum semenis profluuium per insomnia passos immundos esse pronunciauit, partim eo id consilio fecisse videtur diuinus legislator, vt iuuenes crebro contractae impuritatis taedio, ne forte naturae plenioris vitio identidem a negotiis publicis et priuatis arcerentur, coniugia maturarent,<sup>f)</sup> partim vt lauationis necessitate ob impuritatis notam imposita robur amissum balneis frigidis recuperarent.

Quae Moses de puerperis lochia fundentibus, de feminis, quibus menses fluunt et haemorrhagia vteri laborantibus, constituit, ea vno iam sermone complectar, cum his omnibus eadem subfuisse videatur ratio, sanguinis nempe vterini in regionibus calidis ad putredinem inclinantis corruptela. Nolo, quae PLINIVS<sup>g)</sup> de menstrui sanguinis tetra virulentia commentus est, quaeque portentiloquius ille THEOPHRASTVS PARACELSVS<sup>h)</sup> de hoc excremento iactauit, quod venenorum pessimum esse dicebat, recoquere; haec enim aniles fabulae sunt. Neque etiam ita credulus sum, vt fidem habeam TAVERNIERIO,<sup>i)</sup> qui feminas Cafras tantæ virulentaie sanguinem menstruum fundere asserit, vt Europæi, si quando

f) cf. MICHAELIS *Mos. R.* §. 214.  
T. IV. p. 296.  
g) H. N. L. VII. c. 15.

h) Paramirum L. 4.  
i) *Six Voyages des Indes.* part. II.  
L. III. p. 601. ed. 12. 1678.

quando illis eo tempore vrinam mittentibus proprius adstiterint, capitis dolore, febre, immo ipsa nonnunquam peste corripiantur. Nam ista quidem veritatis fidem excedens narratio, pro scriptoris illius credulitate, e vulgi sermone hausta videtur: nihilominus tamen non deficiunt alii auctores, iique circumspectiores et rerum istarum intelligentes, qui feminas calidarum regionum indigenas acriorem et quodammodo virulentiorem sanguinem per naturalia excernere testantur.<sup>ii)</sup> Cuius rei, quae caussa sit, non difficile dictu est. Ardor enim coeli, quemadmodum acredinem humoribus omnibus addit, et vehementius concitatos pronus ad corruptionem efficit, ita vterino etiam sanguini vehementius incandescenti acrimoniam et putredinem prope conciliat. Non itaque dedebeat legislatorem, prospicere, ne puerperae, itemque vteri profluvio aegrotantes vel conuictu et consuetudine cum viris vel immundicie corporis aliis et sibi ipsae nocerent: quod ipsum praecclare secessu vtrisque, ut impuris, et lauationibus imperatis perfecit.

Vidimus, quantum fuerit in legislatore Ebraeorum munditiae studium. Sed audio qui obiiciunt, quae haetenus exposita sunt, ea non ad publicam munditiae apud omnes ciues commendationem, sed ad morborum curam et singulares quosdam casus spectare. Ego vero existimo, nulla alia ratione munditiae studium in republica potuisse certius excitari, quam vt illis omnibus, qui vel casu vel morbo immundi facti essent, a consortio cum caeteris et a ciuilibus negotiis interdiceretur. Cum enim eiusmodi secessum plenum taedii et molestiae esse oporteret iis, qui in publico versari et res suas quotidie agere vel labore quaestum facere consueissent, effectum est, vt sedulo sibi cauerent a morbis aliis-

ii) Europaeae etiam foeminae, in regiones illas calidissimas profectae, haud raro morbos varios experiuntur, quos a menstrui sanguinis acrimonia nasci probabile est. cf. CLARKE *Beobachtungen über die Krankheiten auf langen Reisen nach heißen Gegenden a. d. Engl. 1778. p. 30.*



aliisque rebus omnibus, quibus ex lege immunditia contraheretur, adeoque corpori maiorem curam adhiberent, iisdemque lotionibus, quas abstergendae atque expiandae impuritatis caussa lex imperauerat, cauerent, ne qua eiusmodi labo corpus contaminarent. Igitur hoc pacto exemplo eorum, qui lege tum immundi haberentur tum expiarentur, munditiae studium omnibus ciuibus commendatum est.

De vestitus salubritate et munditie pauca omnino in legibus Mosaicis constituta sunt. Referenda tamen ad hunc locum est lex illa, quae vestes lepra contaminatas impuritatis nota damnat, easdemque comburi iubet.<sup>k)</sup> Noui hanc vestitum lepram Mosaiicarum legum commentatoribus durum negotium facessere, nec ego tantum mihi sumo, vt quaestione hanc difficultate, qua vna maxime laborat, solutum me esse confidam. Non existimauerim tamen, vitii huius vestibus inherentis indolem leprae corporum similem prorsus fuisse, vt nonnullis visum est, qui legislatorem eas vestes damnare censuerunt, quibus leprosum virus ex viuo corpore immissum esset. At non video, quid peculiari lege tunc opus fuisset, cum eo ipso, quod leprosi homines ex societate ciuium remouerentur, omnis quoque illorum supellex immunda et communi usui inepta euaderet. Praeterea vero, quod maximum est, legislator pannorum et linteorum lepram pariter impuram pronunciat, siue stamen tantum siue subtemen siue utrumque corruperit.<sup>l)</sup> Eoque ipso agnoscit, fieri posse, vt in parte tantum panni labes haereat, pars integra sit. Quod quo pacto in panno leprae contagione corrupto contingere potuerit, difficulter dixeris. In ipsius certe materiei, panno conficiendo adhibitae, vitio admittendo magis minusue idoneae, diuersitate, caussa quaeri non potest. Neque enim licitum erat Iudeis, ueste ex duplii materie, lana v. c. et lino contexta vti.<sup>m)</sup> Vestem autem

k) Leuit. XIII. 47. sqq.

l) ibid. 48. 49. 51. etc.

m) ibid. XIX. 19. Deuter. XXII. 11.

tem simplicis texturae, siue mere lanea sitie linea tantum esset, totam certe occupasset leprae virulentia, vtpote per halitum et ulcerum saniem transfusa. Nouimus nostris quoque temporibus morbis variis aegrotantium vestes ita contaminari, vt sanis illas induentibus certissimum periculum afferrant. In his tamen morbis nullus est, cuius virus telam, quam attigit, non totam penetrat, sed in stamine tantum vel subte mine consistat; nullus, qui in veste ab aegroto seposita, perinde ac in ea, qua corpus iam tegitur, latius serpat. Ipsa cancro consumtarum et sideratarum s. sphacelo affectarum partium teterima licet sanies, nunquam tamen ultra linteorum partem eam, quam loco affecto proximam ab initio imbuerat, in illis a corpore demtis diffunditur. Quae cum ita sint, nescio an morbi contagio recte tribui possit vitium istud vestium, cui leprae nomen a Mose datum est. Putauerim potius, vocabulum istud a corpore viuo ad corpora exanimia translatum fuisse, eadem sermonis licentia, qua nos quoque interdum utimur, dum v. c. arbores et saxa cancro adesa esse dicimus, quando in his aliquid humiditate, putredine vel aeris intemperie corruptum est.<sup>n)</sup> Quod igitur ad illam pannorum laneorum lepram attinet, placet Ill. MICHAELIS sententia, existimantis, leprosam lanam dici eam, quae ab ouibus morbo enectis vel scabiosis sumita est.<sup>o)</sup> Vsu enim constitit, eiusmodi lanam asperam esse et inutilem, vt etiam telae ex tali materia confectae paulatim hinc inde exedantur, et, qui illis vestiuntur, sanitatis periculum adeant. Similiter coriorum lepram, cuius meminit Moses, illud ipsum vitium fuisse putauerim, quod tum caeterorum animalium senio aut morbo consumtorum exuuiis inhaeret, tum bouinis praesertim pellibus ex armentaria lue conciliari solet.

Illae

n) *Krebs*, s. *Brand* illud arborum vitium dicitur, quo, nondum prorsus emortuae, hinc inde putrescunt. Prior illa vox nonnullis etiam lapidum

quorundam v. c. calcarei et arenarii et Granitis mollioris fatiscientiam significat.

o) *Mos. R.* §. 211. T. IV. p. 262.



Illae enim fragiles sunt et saepius semesae quasi apparent, et sanitati non parum officiunt.<sup>p)</sup> Linearum autem vestium lepra qualis fuerit me nescire fateor.

Caeterum illud dubium non est, ut opinor, Hebraeorum legislatorem his suis legibus de lepra vestium promulgatis sanitati publicae egregie prospexit, et morbis, qui a vestium sordibus aliisque vitiis proueniunt, obuiam iuissit. Effecit simul sapienti hoc consilio, ut ciues vestium munditiae in regione calida summopere necessariae studerent, ne quid illae vitii contraherent. Caeterum, licet de vestium materia nihil praeceperit, lineis tamen ut purissimis plurimum fauisse videtur, cum his solis sacerdotes uti voluerit,<sup>q)</sup> quo forte factum est, ut et reliqui, morum sanctitati hoc tribuentes, sacerdotum, quos maximopere suspiciebant, habitum aemularentur et lineas vestes sibi comparare studerent, quarum commoda et usum in Aegypto iam didicerant.

In primis autem ad illa instituta, quibus munditiae corpori salutari apud Israelitas prospiciebatur, circumcisio referenda est.<sup>r)</sup> Credendum vero est, hanc pudendorum membranam praecidendi eonsuetudinem, antequam diuino mandato apud gentem Hebraeam legis auctoritatem adipisceretur, non omnino ignotam fauisse, cum Deus Abrahamum, ut egregie monuit ILL. MICHAELIS,<sup>s)</sup> se suosque circumcidere, simpliciter tantum iusserit,<sup>t)</sup> nec, quomodo id fieri deberet, illum docuerit, quod tamen in re prorsus noua et periculo non vacua summopere necessarium fuisset. Quod si scriptorem diuinum, hanc a Deo datam institutionem, quam quippe suo tempore repetere opus non erat, reticuisse dicas, quaero, quo pacto Abrahamus difficilis et cruentae operationis

p) Nostri eiusmodi coria dicunt:  
*Abdeckerleder, gefallene oder erftunkene Leder.*

q) Exod. XXVIII. — cf. etiam JOSEPH. *Aniq. Iudaic.* L. III. c. 8.

r) Genes. XVII.

s) Mof. R. T. IV. §. 184. p. 27.

t) Genes. XVII. II. 12.

tionis artificium vix edoctus, eius exercendi statim tam peritus euaserit, ut eodem die, non sibi tantum, sed filio etiam seruorumque satis numerosae familiae praeputia solus circumcidere potuerit, veluti factum esse paginae sacrae testantur.<sup>u)</sup> Quapropter equidem ad sententiam FRID. BOERNERI<sup>v)</sup> et ILL. MICHAELIS<sup>w)</sup> accedo, fuisse nimirum fortassis iam eo tempore inter seruos Abrahami *circumcisores*, h. e. chirurgiae, ut ita dicam, circumcisoriae peritos, qui herum in operatione ista adiuuarent. Videtur autem in hac etiam re, quod in multis aliis factum esse nouimus, sapientia diuina ad hominum mores et locorum ingenium sese conformasse, ut, quod forte iam antiquitus natura iubente salubriter institutum fuerat, postea religionis caussa simul et sanitatis in legem abiret. Quatenus religionis caussa praecepta fuerit circumcision, huius loci non est dispicere, cum vniuersa illa disputatio ad rerum diuinarum interpretes pertineat; facere tamen non possum, quin adiiciam, Deum vix eo consilio circumcisionem vel instituisse, vel apud posteros Abrahami retinuisse videri, ut externo hoc discrimine gentem Hebraeam a caeteris omnibus populis seiungeret. Constat enim tum profanorum scriptorum testimonii, tum ipsa codicis sacri auctoritate, Idumaeos<sup>x)</sup> Phoenices,<sup>y)</sup> Col-

## D 2

chos

u) Genes. XVII. 23. 26.

v) Diss. de statu medicinae apud veteres Hebreos, Witteb. 1755. §. 23.

w) Mos. R. §. 185. p. 28. 29.

x) Ierem. IX. 25. 26. ubi Idumaei inter circumcisos representantur. Videntur autem illi, perinde ac Arabes, Ismaelis progenies, circumcisionem, quam a gentis communi patre Abraham tenebant, sequiori aeuo negligisse, ita tamen ut antiquae religionis memoriam seruarent. Neque enim verosimile videtur, vniuersam Idumaeorum gentem, si nullam antiqui ritus venerationem retinuisse, cir-

cumcisione ab Hyrcano Iudeorum pontifice sub exilii poena imperata, tam facile obtemperaturam fuisse, velut eos fecisse IOSEPHVS Antiq. Iud. L. XIII. c. 17. hisce verbis commemorat: καὶ ἀπαντάς τὰς Ἰδυμαῖς ὑποχειρίες ποιησάμενος (Τριανὸς) ἐπέτρεψε αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνειν τε τὰ αἰδοῖα καὶ τοῖς Ἰεδαιοῖς νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. οἱ δὲ πόθῳ τῆς πατρίς γῆς, καὶ τὴν περιτομὴν καὶ τὴν ἀλληγορίαν τῷ βίᾳ διατάντων ὑπέμειναν τὴν αὐτὴν Ἰεδαιοῖς ποιήσασθαι.

y) HERODOT. L. II. §. 134. p. 180. ed. Ampl. Reizii.



chos<sup>a)</sup>) Aethiopes<sup>a)</sup> et Aegyptios circumcisionis ritum inde ab antiquissimis temporibus obseruasse. Sed cum ad Aegyptios nunc deuoluta sit oratio de horum circumcisione statim ea subiiciamus, quae apud veteres auctores leguntur, ut deinceps eo commodius de usu circumcisionis in regionibus australibus disputatio possit institui.

### §. III.

*Leges et instituta Aegyptiorum ad munditiem corporum et vestium salubritatem spectantia.*

Quo tempore circumcisionis ritum Aegyptii instituerint, nemo veterum scriptorum memoriae prodidit. Vetustissimis sane temporibus inter Aegyptios obtinuisse ipsoque adeo familiae Israelis in Aegyptum transitu antiquorem fuisse probabile est. Fuerunt quidem tum veterum tum recentiorum scriptorum haud pauci,<sup>b)</sup> qui Aegyptios ab Hebraea gente circumcisionis ritum didicisse contenderent. Sed vero consentaneum haud videtur, Aegyptios ritus vlos, nedum religiosos, qualis circumcisione putabatur, mutuatos fuisse ab hominibus peregrinis, quos, ut barbaros et pecuariam facientes contemnerent, immo ob carnium bubularum et ouillarum esum, tanquam ipsorum deos mensis apponentes, odio etiam haberent.<sup>c)</sup> Quid? quod ipsos Aegyptios neglectum circumcisionis usum Iudeis exprobasse ex aliquo sacri codicis loco coniici possit.<sup>d)</sup> Adde, quod PHIL<sup>o</sup> et

IOSE-

<sup>a)</sup> HERODOT. I. c. DIOD. SIC.  
L. I. p. 12. edit. Rhodom.

<sup>c)</sup> Genes. XLIII. 32. XLVI. 34.  
Exod. VIII. 26.

<sup>a)</sup> HERODOT. I. c. p. 181. DIOD.  
SIC. L. III. p. 165. de Troglodytis  
Aethiopica gente.

<sup>b)</sup> quorum argumenta vide apud  
IABLONSKIVM panib. Aegypt. §. 7.  
p. 12. sq.

<sup>d)</sup> Ios. V. 9. quo loco Deus Israelitas in Palaestina nuperrime circumcisos ita alloquitur; *Hac die vos Aegyptiorum criminazione* (οὐειδίσμων verterunt LXX) *absolui*. — Circumcisitis annumerantur Aegyptii, Ierem. IX. 25. 26.

JOSEPHVS, alioquin in suae gentis sacris aduersus Aegyptios vindicandis admodum diligentes, nuspam Aegyptios a Iudeis circumcisionem adsciuisse tradant, neque etiam Graecorum scriptorum contrariam sententiam, data licet eius rei opportunitate, vsquam refutent.<sup>e)</sup>

Existimarent multi, solis apud Aegyptios sacerdotibus et Isidis sacris initiatis circumcisionis necessitatem incubuisse, atque ut hoc euincerent, ad HERODOTI<sup>f)</sup> PHILONIS,<sup>g)</sup> IOSEPHI<sup>h)</sup> et ORIGENIS<sup>i)</sup> loca illa prouocarunt, quibus de circumcisione Aegyptiorum exponitur. At in HERODOTI quidem verbis illis, quae excitant, nihil omnino inuenio, quo sententia ista posset defendi.<sup>k)</sup> Enumerat enim ille primo loco mores et consuetudines omnibus Aegyptiis communes, et in his etiam circumcisionem commemorat, deinceps vero sigillatim sacerdotum vitae genus describit. PHILO autem et JOSEPHVS simpliciter sacerdotes Aegyptiorum, non *solos*, circumcidi scribunt, et JOSEPHVS Apionem etiam, qui, quantum scio, sacerdos non erat, sed grammaticus, acriter vituperat, quod patrias leges adspennatus, circumcisionem in se ipse neglexerit, donec, morbo genitalium vindicta divina quasi immisso, coactus praeputii sectionem, frustra licet, admitteret.<sup>l)</sup> ORIGENES denique hoc tantummodo testatur, apud Aegyptios licitum fuisse nemini nisi circumcisum, literas sacras artesque sublimes et arcanas ediscere, sacerdotiumue capessere, aut Isidi initiandum se praebere. Manifesto autem nihil aliud hisce verbis declaratur, nisi hoc, sa-

## D 3

cerdo-

e) PHILO *de circumcisione* in Opp. Colon. Allobr. 1613. f. p. 625. JOSEPH. *Antiqu. Iud.* L. VIII. c. 4. contra Apion. L. I. p. 1047. L. II. p. 1069. Opp. ed. Colon. Allobr. 1610. f.

f) L. II. c. 36. 37.

g) *de circumc.* l. c.

h) contra Apionem L. II. p. 1069.

i) *Comment. in Epist. ad Rom.* c. II. 13.

k) Verba Herodoti haec sunt: c. 36. τὰ αἰδοῖα ὥλοι μὲν ἐῶσι ᾧς ἐγένοτο, πλὴν ὅσοι ἀπὸ τάτων ἔμαθον· Αἰγύπτιοι δὲ περιτάμνονται — 37: τὰ τε αἰδοῖα περιτάμνονται, καθαριότητος εἴνεκεν, προτιμῶντες καθαροὶ εἴναι η̄ εὐπρεπέσεροι. οἱ δὲ ἴρεες ι. τ. λ.

l) contra Apion. l. c.



cerdotes *in primis* circumcisionem religiose obseruasse, eademque peregrinis quoque hominibus, si qui arcanae religionis Aegyptiacae cupidi essent, opus fuisse; quod ipsum Pythagorae etiam exemplo constat, quem antequam religiosis Aegyptiorum mysteriis initiaretur, circumcisum fuisse legimus.<sup>m)</sup> Praeterea HERODOTVS, quem, tanquam historiarum scriptorem inter Graecos vetustissimum, merito reliquis in hac re anteponere mihi videor, tum illo, quem supra exscripsi, tum alio quodam loco, de circumcisione Aegyptiorum ita differit, ut vulgo inter Aegyptios receptum eius usum fuisse non obscure significet.<sup>n)</sup> Idem fere ex DIODORO SICULO<sup>o)</sup> et STRABONE<sup>p)</sup> patet. Adde, quod AMBROSIUS<sup>q)</sup> decimo quarto aetatis anno Aegyptios circumcidi consueuisse affirmat. Vnde satis certo, opinor, argumento consequitur, Aegyptios omnes ritus istius obseruationi adstrictos fuisse, cum verba, quibus scriptor vtitur, generalia ad solos sacerdotes Isidisque mysteriis initiandos ob aetatis mentionem adiectam referri haud possint.

Circumcisionis ritum, quis primus inter Aegyptios instituerit, ex veterum relationibus non liquet; atque hoc ipsum remotissimae antiquitatis argumentum esse videtur, cum vix ullam aut diuini cultus apud Aegyptios caerimoniam, aut ciuilis etiam vitae consuetudinem ad originem suam et auctores seu veros illos seu fictos Graeci scriptores non retulerint. HERODOTVS ipse nescire se fatetur, vtrum Aegyptii an vero Aethiopes circumcisionem primi instauraverint, rem enim esse vetustate originis admodum obscuram.<sup>r)</sup>

Idem,

m) cf. Auctores, qui de vita Pythagorae scripsierunt.

n) L. II. c. 104.

o) *Bibl. Hist.* L. I. p. 12. 50. edit. Rhodom.

p) *Geogr.* L. XVII. p. 1180. ed. Almelov. Solus, quantum noui,

STRABO, femellas etiam in Aegypta circumcidi meminit.

q) *de Abrabamo* L. II. c. 11.

r) L. II. §. 104. αὐτῶν δέ Αἰγυπτίων καὶ Αἴθιόπων εἰς ἔχω εἰπεῖν, ὅμοτεροι παρὰ τῶν ἐτέρων ἐξεμαθούσι. αἱχαῖον γὰρ δή τι Φχινεταὶ εἰν.

Idem, quem modo laudaui scriptor, munditiei gratia Aegyptios praeputia refecasse testatur.<sup>s)</sup> Quam rationem ipsos Aegyptios agnouisse, non negantibus id ipsum Iudeis, etiam ex PHILONE patet, qui inter alias, quae circumcisio- nem suadeant, caussas, primam facit carbunculum, pessimum genitalium morbum, cui sic obuiam itum fuisse existimat.<sup>t)</sup> Neque id absconum videbitur iis, qui meminerint, HERODOTVM et PHILONEM de hominibus calidas regiones incolentibus ea, quae retulimus, scripsisse. In his enim mucus ille et sebaceus liquor, quem glandulae paruae Littrii coronae glandis circumpositae exsudant, facillimo negotio tantam contrahit acrimoniam, ut praeputium et glandem arrodat, quo fit, ut nisi saepius haec loca mundentur, varii inde morbi, inflammatio, carbunculi, serpiginos, phimosis et paraphimosis existant, praesertim, si largis sudoribus corpus perpetuo madeat, quibus cutis illarum partium ita laxatur et extenuatur, ut laesione facile sentiat. Ipsiis etiam rerum argumentis docemur affectiones istas morbosas calidarum regionum incolis facile accidere. Nam et itineraria et relationes istarum rerum medicae fidem faciunt, his, qui sub coelo feruido degunt, multum sordium inter praeputium et glandem colligi, idque tanto facilis contingere, quo longius et super glandem productius a nativitate esse solet harum regionum incolis praeputium. Inde non raro iis, qui recutiti non sunt, partesque illas crebrius aqua eluere negligunt, aliquid sub praeputio abscedere et sordida vlcera nasci referunt,<sup>v)</sup> ideoque etiam Christianos in hisce regionibus

s) οὐδειότητος εἶνεν κ. τ. λ.  
I. c. §. 37.

t) *de circumc.* I. c. πολλὰ δὲ εἶναι (εἴμος) τὰ προτέποντα τὴν εἰσαγωγὴν τῶν παλαιῶν διατηρεῖν καὶ ἐπιτελεῖν, τὰ δὲ ἀνωτάτω τέτταρα· ἐν μὲν, χαλεπῆς νόσους καὶ δυσιάτας πάθες απαλλαγὴν, ἢν ἀνθρακαὶ καλά-

σιν ἀπὸ τῷ οὐρανῷ ἐντυφόμενον, ὡς οἵμα, ταύτης τῆς προσηγορίας τυχόντος, ἥτις εὔκολωτερον τοῖς τὰς ἀπροποσθίας ἔχεσιν ἐγγίνεται· δεύτερον τὴν δι' ὅλης τῷ σώματος οὐδειότητα, κ. τ. λ.

v) cf. NIEBUHR *Beschreibung von Arabien* p. 77.



nibus habitantes, non religionis, sed sanitatis causa pueros circumcidere.<sup>w)</sup>

Caeterum an viros reddat circumcisio ad procreandam sobolem aptiores, huius loci non est disputare. Dabitaue-  
rim tamen, an sit aliquod in circumcisione foecundiae adiu-  
mentum, quicquid de hac re dixerit PHILO<sup>x)</sup> licet illam  
gignendi facultati non obesse cognoscam. Nam et nostris tem-  
poribus, multas regiones a recutitis habitari notum est, quae  
tamen ideo nihilo magis incolarum multitudine abundant.

Redeo nunc ad Aegyptios, quos in omni propemo-  
dum vitae genere munditiei plurimum studuisse ex veterum  
scriptis appareat. Cum enim, ut PLVTARCHVS ait,<sup>y)</sup> sanitatis  
curam semper maximi aestimarent, hoc in primis institutis  
variis gentis auctores et legumlatores contenderunt efficere,  
ut ciues munditiei, in qua videlicet haud leue ad valetudi-  
nem momentum esse sentiebant, adsuefacerent, eamque re-  
ligionis etiam titulo illis commendarent.<sup>z)</sup> Tondebant assi-  
due capita et corpus totum radebant,<sup>a)</sup> pilos reiectaneas  
corporis partes esse rati et inutiles.<sup>b)</sup> Qua quidem in re  
et si

w) illi v. c. qui per Abyssiniam et Nigritiam passim habitant, Coptico ritui addicti, nec non Christiani Indiae Orientalis, qui a S. Thoma cognominantur.

x) de circumc. 1. c. τέταρτον δὲ καὶ ἀναγκαιότατον (τῶν προτρεπόντων τὴν περιτομὴν διατηρεῖν) τὴν πρὸς πολυγονίαν κατασκευὴν. λέγεται γὰρ ὡς εὐοδοῖ τὸ σπέρμα μήτε σκιδνάμενον μήτε περιέργεον εἰς τὰς τῆς ποσθίας ὡς ἡλθε οὐλπες. ὅθεν καὶ τὰ τεμνόμενα τῶν ἐθνῶν πολυγονώτατα καὶ πολυαυθρωπότατα ἔναι. cf. etiam IO. FRID. BAVER Diss. de cau-  
sa foecunditatis gentis circumcisae in circumcisione quaerenda Lips. 1739. et SAL. BERNH. WOLFSHEIMER Diss.

de causis foecunditatis Ebraeorum non nullis sacri Codicis praceptis innitenti-  
bus. Hal. 1742.

y) de Iside et Osiride c. 94. cf. HERODOT. L. II. §. 77.

z) Munditiei curam ad religionis cultum retulisse Aegyptios, patet ex HERODOTI verbis §. 37. qui de variis Aegyptiorum institutis ad munditiem spectantibus expositurus, sermonem ita exorditur: Θεοσεβέσ; δὲ περισσῶς ἔοντες μάλιστα πάντων ἀνθρώπων, νόμοισι τοιοίσιδε χρέονται κ. τ. λ. cf. §. 64.

a) HERODOT. L. II. §. 36. L. III. §. 12.

b) PLVTARCH. de Is. et Osir. c. 4. de Isiacis potissimum.

et si naturae humanae ignorantia perperam ratiocinati sunt, re ipsa tamen sanitati haud mediocriter consuluerunt, cum pilorum nimius in corpore prouentus regionum calidarum incolis ob sudoris et sordium retentionem damnosus sit. Lavabantur etiam fere quotidie, nec, nisi luctus tempore, hoc intermittebant.<sup>c)</sup> Plerique autem nudi et sine calceamentis educabantur ob commodam coeli temperiem<sup>d)</sup>, et adiuti vestibus tenuibus,<sup>e)</sup> ex lino contextis vtebantur, quas semper mundas nitidasque seruare maximopere studebant.<sup>f)</sup> Erat enim lini fertilissima Aegyptus,<sup>g)</sup> cuius etiam texendi artificium ab Aegyptiis, ut videtur, inuentum, ab his deinde ad alias gentes traductum est.<sup>h)</sup> Non tamen regionis ad lini prouentum opportunitas potius, quam munditiae cura linetearum vestium usum incolis commendauit, hanc ipsis Aegyptiis vestitus gentilitii rationem praese ferentibus.<sup>i)</sup> Quapropter, et si lanas non omnino adspernabantur, iis tamen ad penulas tantum et lacernas vtebantur,<sup>k)</sup> nec fas erat lanea veste amictum sacris interesse.<sup>l)</sup> Vellera enim pecorum perinde ac pilos a natura tanquam peregrinum aliquid et superfluum corpore expelli, atque ideo nec pura nec casta esse existimabant.<sup>m)</sup> Sacerdotes autem maxime munditiae magistros et exempla habebant, quibus cum reliqua vitae omnis ratio ad certas quasdam leges exigebatur, tum illud praecipue diligenter curandum erat, ut corpus purum et ab illuuie liberum

c) DIOD. SIC. B. H. P. I. L. I.  
p. 65. 81.

d) DIOD. SIC. I. c. p 72.

e) HERODOT. L. II. §. 36.

f) ID. ibid. §. 37. εἴματα δὲ λίνεα Φορέσσι ἀεὶ νεόπλυτα, ἐπιτηδεύοντες τέτο μάλιστα.

g) PLINIVS L. XIX. c. I.

h) HERODOT. I. c. §. 105. STRABO L. II. p. 762. quorum uteque Colchos, tum ob alias caussas, tum

ob lini apud eos frequentem culturam Aegyptiorum coloniam esse existimat.

i) PLVTARCH. de Is. et Osir. c. 4. ἐσθῆτα παρέχειν — — τῷ σκέποντι μὴ βαρύνεσσαν, εὐάρμοσον δε πρὸς πᾶσαν ὥραν, ἥκισα δέ Φθειροποιόν, ὡς λέγεται.

k) HERODOT. I. c. §. 81.

l) HERODOT. I. c. PLVTARCH. I. c.

m) PLVTARCH. I. c.

liberum seruarent. Igitur quotidie, noctu etiam, iæpius lauabant,<sup>n)</sup> corpusque totum tertio quoquis die radebant, sedulo cauentes, ne sordes aut pediculi corporis sanctitatem polluerent.<sup>o)</sup> Vestibus aliis quam linteis uti nefas illis erat <sup>p)</sup> atque, ut uno verbo rem omnem complectar, corpus purum castumque seruare maxima sollicitudine laborabant. Ista vero puritatis cura, etsi fortassis a superstitione et affectata mollitie non procul abfuit, id tamen commodi habuit, ut ciues salutari corporis regimini adsuescerent.<sup>q)</sup> Nihil enim ad vulgus regendum plus valet, quam sacerdotum, in quos omnes intuentur, sanctitas; quemadmodum et principum erga leges obsequium, harum auctoritatem maxime firmat.

#### §. IV.

*Leges et instituta Graecorum veterum, munditiei vestitusque aptae rationi consulentia.*

Graecos paullo serius de munditie ciuium et vestitus ratione ad sanitatem attemperanda cogitasse, tanto minus mirandum

n) HERODOTVS l. c. §. 37. sacerdotes Aegyptios bis de die, bis noctu, PORPHYRIVS autem περὶ ἀποχ. έμψ. L. IV. §. 7. ter omnino quotidie, mane nimirum, cum a somno surgerent, deinceps ante prandium, tandem cum irent cubitum, frigida lauasse scribit.

o) HERODOT. l. c. PLVTARCH. l. c. c. 4.

p) HERODOT. l. c. §. 37. PLVTARCH. l. c. c. 4. Ad hanc linteas vestes gerendi et derafo capite incendi consuetudinem allusit IVVENTALIS Sat. VI. v. 548. sq.

*Qui grege linigero circumdatus et  
grege caluo  
Plangentis populi currit derisor  
Anubis —*

Sanctiores tamen sacerdotum Aegyptiorum vestes ex goffypio, quod Graeci scriptores interdum, perinde ac Hebraei, sub communi vocabulo *lini* comprehendunt, colligo ex PLINTIO L. XIX. c. 1. Superior pars Aegypti in Arabiam vergens gignit frumentum, quem aliqui goffypium vocant, plures *xylon*, et ideo *linā* inde facta *xylinā* — — Vests inde sacerdotibus Aegypti gratissimae.

q) Hermeti salutare munditiei moderamen Aegyptios tribuisse, apparere videtur ex DIOD. sic. L. I. p. 14. ubi tum aliarum rerum, tum etiam τῆς περὶ τὸ σώμα πρεπέστης πλάσεως inuentor praedicatur.

randum est, quanto minus sub temperato coelo, quam in calidiori terrarum plaga, viuentibus munditiei neglectus nocet; non, quod nullum sanitati detrimentum afferat, sed quod minus manifestum. Lycurgus adeo parum e republi-  
ca esse corporis cultum arbitratus est, ut iuuentutem Spar-  
tanorum in nuditate et sordibus adolescere vellet, nec nisi paucis aliquot anni diebas lauacra indulgeret,<sup>r)</sup> licet nata-  
tionem in fluminibus, non munditiei, sed exercitii roboris-  
que caussa imperaret. Neque inter philosophos Grae-  
cos defuerunt, qui munditie, non illa tantum, quae mo-  
dum iustum excedens merito reprehenditur, sed salubri  
etiam et corpori necessaria, quam ipsam quoque in vitio po-  
sitam esse putabant, contemta, squalorem in amictu omni-  
que vitae ratione affectarent, mentem non rectius, quam  
externi decoris negligentia, exornari et excoli posse rati. Sed  
ista quidem opinio paucos sectatores nacta est, et ciuitatum  
rectoribus merito displicuit, non ignaris, tum animi virtu-  
tibus, tum corporis etiam integritate ciuium felicitatem spe-  
ctari, nec liberales esse posse et honestos, qui tam parui se  
ipsi aestimarent, ut corporis etiam sanitatisque curam homi-  
ne ingenuo dignissimam omitterent. Balneorum tamen pu-  
blicorum usum scimus diu apud veteres nullum, immo HIP-  
POCRATIS adhuc aetate, ut GALENVS existimat, rarum fuisse.<sup>s)</sup>  
Vnde necesse fuit, ut, qui vellent, in scaphis tantum et so-  
liis domi suae lauarent.<sup>t)</sup> Sequente tamen tempore plurima  
balnea, tum in priuatorum aedibus, tum publico sumtu, ex-  
structa fuerunt. Et publica quidem balnea, quorum usus

## E 2

paruo

r) PLUTARCH. *Lycurg.* c. 31.

s) HIPPOCR. *de viet. rat. in morb. acut.* p. 395. ed. Foel. ἔσι δὲ ὅτε ἡσ-  
τον χρησέον (λάτρῳ) διὰ τὴν ἀπα-  
ραχσικυτήν τῶν ἀνθρώπων. Ἐν  
δλίγησι γὰρ οἰκίησι παρα-  
σκεύασαι τὰ ἄρμενα, καὶ οἱ  
θεραπεύοντες ὡς δεῖ. — γῆ

γὰρ σπέπης ἀκάπνου δεῖ, καὶ ὑδα-  
τος διψιλέος, καὶ τῷ λατρῷ συχνῷ,  
καὶ μὴ λίην λάβεται, ἦν γε μὴ ἔτω  
δεῖ. Κ. Τ. Λ. Cf. GALENI *commentar.*  
in hunc locum.

t) ἐν ταῖς σιάφαις καὶ πυέλοις.  
SVIDAS in v. *βαλανεῖον.*

páruo redimebatur pretio, cum gymnasiis plerumque coniuncta erant. Prae reliquis autem Graeciae vrbibus, Corinthus multis iisdemque splendidis lauacris, tam priuatis quam publicis, abundabat, quibus postea accesserunt ea, quae Hadrianus Imperator suo sumtu aedificauit.<sup>u)</sup> Caeterum balneorum perinde ac gymnasiorum cura apud Athenienses magistratibus mandata fuisse videtur, quos Αξυνόμους dicebant;<sup>w)</sup> visaque est balneorum tutela tantopere cum publica salute coniungi, vt singularibus etiam quibusdam legibus lauantium securitati consuleretur. Cuius rei argumento esse potest vel vna illa celebrata Atheniensium lex de furibus balneariis (λωποδύταις) lata, qua illi, qui ex balneis aliquid surripuisset, capitis supplicium irrogabatur,<sup>x)</sup> cum in alios<sup>y)</sup> fures mitius leges animaduerterent, rei furto ablatae decupli tantum poena statuta.

De vestium munditie parum apud Graecos constitutum fuisse comperi. Turpe tamen habebatur et homine ingenuo indignum, squalida tunica indutum in publico versari. In primis autem in mulieribus munditiei neglectum, vt parerat, adeo auersabantur, vt legibus etiam in eiusmodi turpitudinem animaduerterent, mille drachmarum multa sanci-

u) PAVSAN. Corintb. 2.

w) Astynomi vrbis aediumque publicarum et priuatarum pari proximodum auctoritate, ac apud Romanos, Aediles, curam gerebant. ARISTOTELES Polit. L. V. c. 8. officia illorum ita descripsit: ἡ τῶν περὶ τὸ ἄξυ δημοσίων καὶ ἴδιων ἐπιμέλεια, ὅπως εὐκοσμία ἡ, καὶ τῶν πιπτόντων οἰκοδομημάτων καὶ ὁδῶν σωτηρίᾳ καὶ διόρθωσις. καὶ τῶν ὀρίων τῶν πρὸς ἀλλήλας, ὅπως ἀνεγκλήτως ἔχωσι, καὶ σα τάτης ἀλλα τῆς ἐπιμελείας ὅμοιέτεροπα. καλέστι δὲ ἀξυνομιάν οἱ πλεῖστοι τὴν τοιαύτην ἀρχήν. Breuius VLPIANVS in Comment. in Timo-

crateam DEMOSTHENIS: ἀξυνομος ὁ ἐπὶ τὸ ἔνταγμα καθαρίαν τὴν πόλιν ἀσχολημένος. cf. CAR. SIGONII de republ. Athen. L. IV. c. 3. p. 176. T. V. Opp. ed. Pb. Argelati Mediol. 1736.

x) Verba huius legis seruavit DEMOSTHENES in Timocratea p. 476. ed. Hieron. Wolfi. εἴ τις — — τῶν σκευῶν τὶ τῶν ἐν τῶν γυμνασίων ὑφείλετο ἡ ἐν τῶν βαλανείων, ἡ ἐν τῶν λιμένων ὑπὲρ δέκα δράχμας, καὶ τάτοις θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. Multa de hac lege disputat ARISTOTELES Problem. XXIX. 14. cf. SAM. PETITI Comment. in LL. Att. L. VII. T. 5.

ta, si qua femina, cultus liberalis cura omissa, sordida et non ornata in publicum prodiret <sup>y)</sup> nomine eius etiam ignominae caussa in Ceramico a Gynaeconomis in tabula exposito. <sup>z)</sup> Legimus etiam Solonem adulteras ornatus mundique muliebris vſu prohibuisse, <sup>a)</sup> propterea, quod honestas tantum matronas ornatorem cultum decere putaret, et muliere ingenium, vestitus elegantiae deditissimum, huius interdictione proposita efficaciter a vitio deterreri et ad castitatis studium facillime adduci posse consideret.

G. V.

*De Romanorum veterum legibus et institutis munditiae vestiumque  
salubritati prospicientibus.*

Romani antiquissimis temporibus munditiem corporis, publicis institutis legibusque commendasse non videntur, cum vitae cultus morumque elegantiae expertes curae sanitatis publicae vacare inter continua bella vix possent, et coelum etiam Italiae, olim asperius ac frigidius, ad balneorum usum parum inuitaret. Quotidie tamen iam tunc, ut SENECA ait,<sup>b)</sup> brachia et crura abluebant; caeterum nundinis toti lauabantur. Quo tempore primum balnea publica Romae exstructa fuerint, nescio, nisi quod ante Punica

E 3 bella

y) Lex ista extat apud HARPOCRATIONEM — χιλίας ζημιέσθαι τὰς κατὰ ὁδὸς ἀκοσμίσας γυναικας. cf. SAM. PETIT. I. c. L. VI. T. 4.

turpissimum esse agnouerunt, et magistratibus, quos ἀρμοστύνχς vocabant, hoc negotium dederunt, ut mundo muliebri inuigilarent. — Vid. ΗΕ-  
ΣΥΧ. in voce ἀρμόστυνχοι.

z) IVL. POLLVX *Onomast.* L. VIII.  
Sect. 112. Γυναικόνομοι δὲ ἀρχοὶ ἐπὶ τῷ κόσμῳ τῶν γυναικῶν· τὰς δὲ ἀνοσμετας ἔζημιεν, καὶ τὰς ζημίας αὐτῶν γραφόντες ἔξετιθεσαν ἐπὶ τῆς πλατάνια ἐν Κεραμινῷ — Ipsa etiam Lacedaemonii, quos caeteroquin corporis munditiem et ornatiorem cultum non adeo multum curasse supra monui, squalorem tamen in foemina

a) AESCHINES in *Orat. contra Timarch.* p. 196, Ed. l. Opp. *Demosth.* et *Aesch.*

b) epist. 86. Digna est haec epistola, quae tota legatur, cum quanto discrimine abs fuerit prisorum Romanorum circa balnea parsimonia a recentiorum in illis luxuria, grauiter simul et eleganter exponat.

bella nulla extitisse colligam ex eo, quod neque leges antiquissimas mentionem eorum villam fecisse, neque ad Aediles censoresue, operibus licet publicis, tum aliis, tum aquis etiam tuendis praefectos.<sup>c)</sup> inde ab eo tempore, quo magistratus isti instituti sunt, simul balneorum quoque curam relatam fuisse, apud veteres scriptores, quod sciam, memoriae proditum sit. At subsequente tempore, pacata vndique republica ac gentium deuictarum opibus ditata, magnus Romae esse coepit ac prope incredibilis balneorum numerus,<sup>d)</sup> cum et alii, et illi in primis, qui magistratum vel ambirent vel caperent, in edendis muneribus balneorum quoque magnifica exstructione populi gratiam haud raro captarent.<sup>e)</sup> Cumque Romani prouincias non exercitibus tantum legumque auctoritate, sed vitae etiam et artium cultu morumque urbanitate in fide retinere diligenter stude- rent, mirum non est, eos balneorum quoque frequentem usum in prouincias introduxisse; quo factum est, ut in his quoque ingens thermarum publicarum numerus esset, nec facile illum municipium splendidis aedificiis in hunc usum exstructis careret, quorum vestigia haud pauca in veterum urbium pagorumque ruderibus hodienum extant. Sanitati autem publicae tanto ut melius per balneorum usum prospiceretur, cuilibet ex populo, etiam infimae fortis ciui et capite censo, potestas commode et quoties vellet lauandi data est. Et primis quidem temporibus per integrum diem usque ad vesperam aditum ad balnea patuisse verosimile est;<sup>f)</sup> ut tamen plurimi aestate octaua, hieme nona hora, ante coenam proxima, lauarent.<sup>g)</sup> Quod quidem tempus tam opportunum

c) CICERO *de legibus* L. III.

Neronis, Titi, Domitian, Traiani et Diocletiani.

d) PUBLIUS VICTOR, quarti post C. N. seculi scriptor, Romae DCCCLVI. balnea publica fuisse testatur. Alii ultra nongenta numerarunt. Splendidissima autem et celeberrima erant Balnea Agrippae,

e) Ut M. Agrippa in aedilitate. PLIN. L. XXXVI. c. 15.

f) IUL. CAPITOLINVS in Alex. Seuero.

g) MARTIAL. L. IV. Epigr. 8. L. XI. 53.

tunum ad lauationem visum est, ut Hadrianus Imperator legge etiam ad populum lata edixerit, ne quis, nisi aeger, ante horam octauam balnea adiret.<sup>h)</sup> Postea vero Alexander Severus, rem gratam populo facturus, nocturna etiam balnea, oleo pro luminibus suo sumptu praebito, concessit.<sup>i)</sup> Caeterum vilissimo pretio, quadrante nimirum, thermarum usus redimebatur<sup>k)</sup>, impuberibus gratuitus erat.<sup>l)</sup> Gratis etiam nonnunquam populo balnea ab optimatibus et Caesariis praebita fuisse, M. Agrippae<sup>m)</sup> et Antonini Pii Caesaris<sup>n)</sup> exemplo constat. Immo priuatorum adeo sumtibus interdum lauationes exhibebantur, cuius rei argumentum est in legato balnei municipibus publice ab haeredibus praestandi, quod commemoratur in *I. 15. §. 3. Dig. de legat. et fideicommiss. III.* quo etiam pertinet *I. 30. §. 1. Dig. loc. cond.* Ut vero commoda esset lauatio, et sufficiens ex publicis aquaeductibus aquarum copia lauaturis suppeteret, Aediles primum et deinde imperatores etiam prouiderunt.<sup>o)</sup> Cautum etiam legibus erat, ut quilibet tuto posset, nemine prohibente, in balneis lauare. Qui a balneo arcebatur, is iniuriarum actione experiri poterat.<sup>p)</sup> Porro in fures balnearios apud Romanos, perinde fere ac supra de Atheniensibus diximus, grauiori poena extra ordinem animaduersum<sup>q)</sup> eoque effectum est, ut magna lauantibus esset securitas. Omnis autem

h) SPARTIANVS in *Hadriano*.

i) LAMPRID. in *Alex. Sev.*

k) HORAT. *Sat. L. I. 3. v. 137.*

Vnde etiam SENECA ep. 86. balneum rem quadrangulariam dixit.

l) IVVENAL. *Sat. II. v. 152.*

m) qui in aedilitate praebuit gratuita balnea CLXX. PLIN. L. XXXVI. c. 15.

n) IVL. CAPITOLIN. in *Anton. Pio.*

o) Sic v. c. M. Agrippa in aedilitate aquam Virginem gelidissimam et tactu iucundissimam in urbem deduxit, teste

PLIN. L. XXXI. c. 2. XXXVI. c. 15.

balneorum potissimum gratia, ut colligi potest ex MARTIALI L. VI. epigr. 42. et L. XIV. epigr. 163. Plura de aquis in balneorum usum ab Aedilibus et imperatoribus in urbem corrivatis vid. apud IVL. FRONTINVM de aquaeductibus urbis Romae. Huc quoque spectant duas constitutiones Theodosii II. et Valentiniani III. L. 5. et 6. C. de aquaeductu.

p) L. 2. §. 9. Dig. ne quid in loco publ.

q) Vid. I. 1. Dig. de furib. balnear.



autem balneorum publicorum cura penes Aediles erat, quos etiam munditas in thermis et vtilem ac salubrem temperaturam exegisse<sup>r</sup>) ac in reliquis etiam id operam dedisse legimus, ne quid esset, quod valetudinem lauantium offenderet.<sup>s</sup>) Caeterum discipline in balneis cum gymnasiis coniunctis regendae praerant *Gymnasiarchi*, in balneis vero seorsim exstruetis *balneorum*, qui dicebantur, *praefecti*.<sup>t</sup>) His autem apparebant varii gymnasiorum et balneorum ministri, aliptae, gymnastae, mediaстini, fornacatores et alii, quorum officia hoc loco fusius describere superuacaneum est, cum maximam partem ad rei gymnasticae antiquitates alio loco tradendas pertineant.<sup>v</sup>) Calidis autem balneis Romanos ut plurimum usos fuisse ex multis veterum scriptorum locis intelligitur, qui nimium thermarum aestum Romanis exprobrant.<sup>w</sup>) PLINIVS tamen frigidarum etiam lotionum usum ab eo inde tempore, quo Euphorbus, Antonius Musa, et Charmis Mafiliensis, medici, eas aegrotis commendauerant, frequentiorem factum esse refert.<sup>x</sup>) GALENI certe tempore balnea tepida magis, quam frigida vulgo adhibebantur.<sup>y</sup>) Cessit vero paullatim utilissima res in abusum et luxuriam, ut ple- rique non sanitatis et munditiae, sed voluptatis caussa lauarent, atque adeo non pauci essent, qui bis aut saepius etiam quoti-

r) SENECA ep. 86.

s) Sic v. c. PLVTARCHVS *Sympos.* L. III. qu. 10. aediles causse narrat, ne balneorum conductores ignem oleaginis ligno succenderent aut lolii semen in flamمام iniicerent, quod interdum turbam hominum nimiam arcendi causa fecisse videntur, cum horum vapores lauibus vertiginem et capitum dolorem crecent.

t) *Balneorum Augusti praefecti* nominantur in variis inscriptionibus antiquis, quas vide apud H. MERCV.

RIALEM *de arte gymnastica* L. I. c. Caeterum thermarum calefactio etiam muneribus personalibus accensebatur, vr ex *lege* I. §. 2. *Dig. de muner.* intelligitur.

v) De balneorum partibus, quas hoc loco, ne nimis morer lectores, commemorare nolo, vid. VITRVIVS L. V. c. 10.

w) SENECA ep. 86. PLIN. L. XXXI. c. 9.

x) PLIN. L. XXV. c. 7. XXIX. c. I.

y) *De sanitate tuenda*, L. III.

quotidie balneis vterentur, lauationumque, calidarum praeferunt, nimia frequentia corporis vires eneruarent magis quam confirmarent.

Quemadmodum vestitus curam, vetustissimis reipublicae temporibus non adeo magnam Romanis fuisse consentaneum est, ita sequentibus seculis, posteaquam Asia deuicta morum corruptelam diuitiae in ciuitatem inuixerunt, molles atque effoeminati cultus tam studiosi facti sunt, ut repetitis legibus vestium luxuria cohibenda esset, nec sola mundities sanitatis caussa ciuibus commendanda videretur. Potest tamen quodammodo huc referri Augusti Caesaris edictum, qui, visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus et clamitans, En inquit,

*Romanos rerum dominos gentemque togatam!*

Negotiumque aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circoue, nisi positis lacernis, togatum consistere.<sup>2)</sup> Huc quoque spectat antiqua Metelli lex de fullonibus, quam C. Flaminium et L. Aemilium Censores ad populum ferdam dedisse ex PLINIO discimus,<sup>3)</sup> quae quidem lex purgandi ac poliendi uestes materiem et rationem fullonibus prescripsit, vt et mundae uestes essent, et telae firmitati parceretur.

#### §. VI.

#### *E p i l o g u s.*

Haec de munditiae publica apud veteres tutela dixisse sufficiat. Apparet, ni fallor, eam a priscis hominibus adeo neglectam non fuisse, vt potius studium eius reipublicae salutare, prout necessitas suaderet, seu legibus propositis, seu ritibus variis atque institutis, seu denique corpus mundum seruandi in vulgus data opportunitate, ciuibus commendaverint. Reperient forte nostri etiam homines in illis veterum moribus, quod imitatione dignum sit. Non illam quidem, quam inter Aegyptios solemnem fuisse dixi, nimiam ac prope

<sup>2)</sup> SVETON. Aug. c. 40. et 44.

<sup>3)</sup> L. XXXV, c. 17.

prope superstitionem munditiae curam exemplo nobis esse velim, quippe in hac nostri coeli temperie molestam et superfluam, sed saniorem illam rerumque nostrarum conditioni magis accommodatam Graecorum et Romanorum. Scilicet balneorum usus nimis diu iam contemptus inter nostros euiliuit. Raro admodum balnea publica hodie apud nos, et sicubi extant, ea ut plurimum nec lauantibus commoda nec apparatu necessario satis instructa sunt. Quo fit, ut deficiente tum extra priuatas aedes, tum in his ipsis quoque lauacionum opportunitate, pauci omnino toto corpore lauent, et saepenumero sub splendido vestium ornatu squalor et fordes lateant. —

Caeterum etsi huic libello haud parum ad perfectionem deesse sentio, errorum tamen, si quos forte admiserō, aetatis aut ingenii excusatione veniam lecturos propterea non deprecabor, ne consuetudini magis quam animi sensui hoc tribuisse videar. Quod si enim censurae severitatem deprecatio ista mitigat, nocet saepe et fastum animo scriptoris iniicit iudicantium in condonandis erroribus facilitas; fin lectorem excusatio non mouet, frustranea est. Proinde gnaros harum rerum iudices rogo, ut vero opusculi huius pretio censuram suam attemperent, nec erroribus parcant, sed vbi me lapsum esse senserint, meliora me doceant. Si quid enim est, in quo gloriari possim, hoc est: me veritatis et eruditionis cupidissimum esse.

Multa curae sanitatis publicae apud veteres exempla enarranda supersunt, quae, ne angustos, quibus libelli academici circumscribuntur, limites transgrediar, in aliud tempus differo. Forsan, si Deus vitam et vires largiatur, et ista, quae dedi, huius argumenti specimina doctis viris non prorsus displiceant, totum hunc laborem redintegrabo, et tum ea, quae hactenus exposui, tum reliqua, quae nondum attigi, singulari opere vtcunque potero pertractabo.